

065

063

069

059

074

054

114

014

164

Ende

Anfang

50

ad suum casum tremuit, quia erat vir magnus et crassus. Nos
vero omnes conticuimus, perterriti auscultantes quis cecidisset.
Statim autem ille illaesus surrexit, et cum ira incepit lingua
balbutiente quererere, dicens: Ecce scalam sub pedibus habui
et per tres gradus descendit et quidam traxit mihi eam de pe-
dibus et cecidi. Cui cum quidam diceret: scalam ante horam
fuisse depositam; respondit: non est ita, quia tribus gradibus
jam descenderam, et in tertio gradu me consistente mihi est
detracta. Ad haec verba omnes fuimus resoluti in risum,
scientes scalam ante horam fuisse amotam; ego vero jocundatus
magis fui, congaudens socio, quod in tam periculo et alto
casu nihil mali sibi accidit, multum in risum concitatus fui.
Cumque audivisset me ridentem infremuit contra me. Ecce,
inquit, manifeste cerno, quod tu frater Felix mihi scalam
traxisti de pedibus. Certe Galēam non exhibis, nisi me vindi-
cavero. Cumque me excusarem, plus indignabatur, et mihi
maledicebat, jurans se in crastinum vindictam de me sumere.
Sed dormitio sequens omnes vertiginosos et aegrotos, quos
vinum Creticum debilitaverat, sanavit: nec in crastinum
memoria istorum fuit. Si ille peregrinus absque vino et sobrius
istum casum accepisset, forte cervicem aut tibias confregisset.
Communiiter enim ebrii in casibus pericolosis sunt caeteris
fortunatores, sed non prudentiores, dempto Polemo juvete
ebriosissimo, de quo legitur in vita Xenocratis Philosophi
discipuli Platonis, qui totus ebrius et lascivis vestibus indutus
cum per civitatem Athenas madens vino discurreret, et scholas
Xenocratis apertas cerneret, intravit, ut disciplinis intendentes
derideret. Cumque omnes ad ejus ingressum indignarentur,
Xenocrates vultu maturo, omissa re, de qua disserebatur, de
modestia et temperantia loqui cepit. Cujus gravitatem sermonis
Polemon audiens, primo detractam de capite coronam florum
projecit, postmodum pallium seculare depositum, et ad ultimum
omnibus voluptatibus spretis ad unius orationis auditum
philosophus maximus evasit. Transacta illa nocte in crepusculo
navem solvimus, et extra portum per ventum elati sumus.
Sed cum non longe venissemus, occurrit nobis ventus con-
trarius, et jactabamur in fluctibus sine progressu. Conabantur
ergo portum Creticum reintrare; sed non poterant obstante

